



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris Petri Marchantii

Zurmöllen, Heinrich

Neuhusii, 1677

Art. 1. De peccatis Viduarum quae ad secundum Matrimonium adspirant

urn:nbn:de:hbz:466:1-9734

TITVLVS XVI.

De Statu Viduarum.

Articulus Primus.

*De peccatis Viduarum quæ ad secundum
Matrimonium aspirant.*

Hic de Viduarum dignitate, Dei erga
illas singulari protectione, & illarum
piorum operum merito dicendum foret,
sed quia illa magis Concionatores & En-
comiastas concernunt, solum hic peccata
Viduarum allegabimus.

1. Itaque peccant delectatione, verbo vel opere, in materia carnis sicut soluta quælibet.
2. Peccant in cura filiorum & familiæ, sicut & aliæ matres familiæ, si dilapident bona & hæreditatem filiorum, si eorum curam debitam non gerant, si sint illis causa ruine, siue in anima, siue in temporalibus.
3. Peccant peccato scandali si conuersationes scandalosas admittât, aut ea faciant exterius, quæ honestas Matronas & veras Viduas non decent.

4. Pec-

4. Peccant si justam voluntatem Maritorum defunctorum non curent exequi, ut in sepulturis, funeribus, pijs operibus ad quæ se obligarunt.

Petes an liceat Viduæ delectari de recogitata copula cum marito defuncto? R. Vel copula illa, ipsi objicitur ut præterita, & intra terminos Matrimonij honesta & licita, absque præsentis motu carnis, cum sola mentali complacentia, tunc tanquam de objecto licito potest Vidua delectari, modo periculo præsentis carnalis delectationis se non exponat. Si vero consideretur copula ut præterita, delectatio tamen ex ista consideratione in carne & voluntate oriens, sic afficit, quasi copula esset præsens, tunc nullatenus licet, sed Vidua peccatum mortale committit, quia illa delectatio vestitur conditionibus & circumstantijs, vere in mente & voluntate præsentibus, quæ ut præsentis carnem afficiunt, & delectationem ut nunc illicitam causant.